

iis præsertim, quibus ejus cura concredita fuerat, complures ad eum capiendum in mare præcipites ruunt, semivivumque ad litus protrahunt; qui supremo momento, exili aliquo pietatis in Deum argumento edito, paulo post excessit. Is Hieronymi Lippomani vitæ exitus fuit, in quo criminum atrocitas anteactæ vitæ laudem, omniumque miserationem extinxit.

Verum neque fame, quæ in Italia desævierat, neque belli turcici suspicione Principum animi a rebus Gallicis abduci potuerant. Hispani, sibi cuncta a nuper electo Pontifice polliti, nullum officii genus prætermiserant, quo foederis se protectorem, Navarræique hostem palam profiteretur. Itaque tertio ab inauguratione die, quatuor e Purpuratis Galliæ rebus consultandis præfecit, Ioannem Antonium Facchinettum, Scipionem Lancillottum, Julium Antonium Sanctorium, Henricum Cajetanum, qui nuper ex Gallica legatione redierat. In singulos menses Parisiensibus ad Lutetiam tuendam quindecim aureorum millia præbere; Marsilium Landrianum cum literis ad Ecclesiasticos, regiæque stirpis Principes, nobiles, civitates, supremaque concilia, in Galliam mittere statuit; ut ad Regem catholicum eligendum convenienter, hortari, suadere. Verum neque eo satis Hispanis fiebat: exiguum pecuniæ summam esse; non ita leniter agendum flagitare; urgere, ut regiæ agnationis Principes Galliæ regno excludantur. Postulatis Purpurati omnes Philippo addicti aperte favere; Pontificisque animus, parum magnis tractandis rebus assuetus, parvo momento hoc atque illuc impellebatur; omninoque ex aliorum consiliis, qui sæpius sibi quam aliis consulunt, pendere cogebatur. Itaque decem peditum, duo equitum millia in Galliam mittere; Crucis vexillo erecto, cunctos Principes in Navarræum concitare; auctorem se ac ducem expeditionis nuncupare decrevit. Hæc in speciem ingentia erant; verum multis adeo implicita atque obvoluta difficultatibus, ut ægre maturari ac perfici possent. Igitur denuo rem animo agitare cœpit; nova adhibita consultatione expendere, Joannis Francisci Mauroceni, Cardinalis, Gallicarum rerum scientissimi, mentem exquirere; priorique sententia immutata, tum gravissimis impensis deteritus, tum justo pontificiæ auctoritatis, ni obtemperaretur, deprimendæ, ac exulceratis Principum

& no-

*Cardinales
consultatio-
ni de Galli-
cis rebus a
Pontifice
præpositi.
Marsilius
Landria-
nus in Gal-
liam a Pon-
tifice mit-
titur.*

*Gregorius
Pontifex
subsidia
fœderatis
decernit.*